

tuli incidentes in aliquo unq; puncto possunt concurrere, sed disperguntur in ipso me-  
dio, non ergo illi aggregati radij unq; corpus aliquid quodcumq; uel ipsum sit combu-  
stibile possunt incēdere, ut reflectūtur à superficie speculi unius, ex plurimū tñ speculorū  
cōpositione posset aliqd huiusmodi effici, ita ut à quolibet illorū speculorū uno puncto  
reflectetur unus radius ad unum punctū, cū aliorū speculorū radijs concurrens, & sic for-  
tificaretur actio radiorum in illo puncto, & secundum numerum speculorum fieret nu-  
merus radiorum, & unio uel aggregatio radiorū uirtutis. Hæc aut̄ speculorū compositio  
plus esset difficilis q̄ utilis, unde tali operi nos nō dignum ereditimus insisti, patet itaq;  
propositum.

# LIBER SEPTIMVS

PERSPECTIVAE VITELLIONIS.



Rdinis realis series nos ammonet, ut qui planorum speculorum & sphæri  
corum conuexorum passiones proprias prout potuimus transcurrimus,  
nunc ad speculorum columnariū & pyramidalium proprietates diuerta-  
mus. Sunt eī speculorū istorum aliquæ passiones, ex passionib; præmis-  
sorum speculorum constantes uel compositæ, sicut & figuræ istorū speculo-  
rum ex figuris illorū præmissorū speculorū aliqualiter cōponunt. Speculū eī columnar-  
e cū sit pars columnæ rotundæ, sicut in octaua & in decimaquarta, & in decimaquinta  
quinti huius declarauimus. Palam ex præmissis in primo libro huius scientiæ, & in prin-  
cipijs undecimi Euclidis, qm̄ pyramis fit ex transitu rectangulī, quod uno suo; laterum  
fixo motis alijs circumducit, quo usq; redeat ad locum unde motus accepit principium.  
Speculum quoq; pyramidale causatur ex motu trigonī rectangulī, cuius unum laterē  
rectum angulū continentium figitur, & alia duo modo præmisso quo usq; ad locum um  
de moueri cōperūt circūducuntur. Vtrumq; ergo istorū speculorū, quia ex motu linearū  
rectarum ortum habet, palam quia rectarum passiones proprias non euadit. In quan-  
tum uero illæ lineæ causant speculorū figuræ cū circulariter circūferuntur, in tñ hæc spe-  
cula passiones circulares, hoc est sphæricas, qua; origo est circulus, cōmuniter cōsequū-  
tur, & hoc maxime in speculis colūnarib; euidentius apparet, prout manifestabimur  
in processu. Proprie uero istorū speculorū passiones ut illæ quæ secundum oxigonias se-  
ctiones accidunt, quæ solis his speculis, siue sint conuexa, siue concava conueniunt, ex  
quadam cōmuni natura linearum rectarum, & motus accidūt in illis, hæc ergo specula  
posteriorē ordinē recipiunt à plana specula & sphærica conuexa. Prius uero de his spe-  
culis columnarib; & pyramidalib; conuexis prosequemur quām de quibuscumq; cō-  
cauis & sphæricis, propter simplicitatē passionū speculorū cōnexorū respectu concavorū,  
ut illarum quæ in alias descendunt, quæ uero præmittimus sunt ista.

Maius speculum columnare uel pyramidale conuexum uel concavum dicimus, qd̄  
est pars maioris columnæ uel pyramidis & maius quām est pars minoris. Axem  
speculi columnaris uel pyramidalis, dicimus axem illius columnæ uel pyramidis cuius  
pars speculum existit. Basēs speculorum ppositorum dicimus basēs suarum colum-  
narum uel pyramidum qua; cūq;. Diametrum uisualē dicimus linēam à centro ui-  
sus perpendicularē, super superficiem speculi, & ad axem productam, & eadem dicit  
kathetus reflexionis. Kathetus incidentiæ dicitur ut prius linea perpendicularis du-  
cta à puncto rei uisualē super linēam quæ est cōmuni sectio superficie reflexionis & spe-  
culi, utpote super linēam rectam, quæ est linēa longitudinis speculi, uel super circulum,  
uel super oxigoniam sectionem, secundum quod ab aliqua istarum linēarē reflexio pce-  
dit. Finis cōtingentiæ dicitur punctus in quo alter kathetus secat linēam in puncto re-  
flexionis speculum secundum circulum uel sectionem oxigoniam contingentem.

V

Metam